

mentum in locum valde elevatum exponatur, tunc sive in expositione sive in depositione dimittat Pluviale, ne evertat candelabra, aut aliquod aliud inconveniens accidat.

1217. Si expositio facienda sit ante Missam vel immediate post, Sacerdos celebraturus illam perficere poterit cum paramentis sacerdotalibus, deposito simpliciter Manipulo. Si non immediate post Missam danda sit benedictio cum Ostensorio, Sacerdos redeat ad Sacristiam, deponat Casulam et Manipulum, et Pluviale induat, et sic revertatur ordine indicato ad Altare.

1218. Quando expositio SS. Sacramenti, ut pluries evenit, fit simpliciter ad benedictionem populo imperiendam, tunc paratis omnibus, Celebrans cum Ministris more solito pergit ad Altare, ibique facta ab omnibus genuflexione in plano, statim vel ipse Celebrans, vel Sacerdos assistens, si adsit, aliis genuflexis in infimo gradu Altaris, Sacramentum exponit. Ponitur hinc incensum in thuribulo, incensatur more solito Sacramentum et intonatur *Tantum ergo*. Dicuntur, si quae dicendae sint, preces et post verba *Genitori Genitoque*, secundo incensatur SS. Sacramentum. Caetera omnia complentur ut supra dictum est.

§ IV. — *De expositione Quadraginta Horarum.*

1219. Quandocumque Oratio Quadraginta Horarum cum SS^mi Sacramenti expositione instituitur, Altare, in quo illud est exponendum, pallio albo¹ ac so-

¹ S. Rit. C. 19 Decemb. 1829.

lemni apparatu adornabitur, pluribus cum candelabris apte dispositis, in quorum medio thronus seu baldachinum coloris albi positum sit, super cuius basim extensum sit Corporale. De die super illud decem et octo saltem ardebunt candelae, Romae vero saltem viginti: nocturno etiam tempore, idem numerus nequaquam minuetur. Attamen quoad numerum cereorum, qui iugiter ardere debebunt ante SS^mum Sacramentum, servabitur dioecesani Episcopi mandatum, aut Synodalis praescriptio. Picturae et imagines, quae sunt super et prope Altare, operiantur velo albo vel rubro. Nec Sanctorum sive imagines sive Reliquiae, ut in quavis SS^mi Sacramenti expositione, super Altare unquam collocabuntur¹. Poterunt tamen Angelorum simulacra sustinentia candelabra cum candelis adhiberi.

1220. In Altari expositionis, tempore Missae solemnis, adsit Crux visibilis populo cum imagine Crucifixi, ponantur et tabellae Secretarum seu chartaegloriae. In abaco seu credentia, praeter ea quae parantur pro aliis Missis solemnibus, ponatur Ostensorium parvo velo albo obtectum; capsula clausa cum hostia consecranda bene aptata in sua lunula; liber precum pro Celebrante, et saltem alii duo pro Cantoribus; Pluviale concolor paramentis Missae. Si autem facienda sit processio, adsit et Velum humerale album: thuribulum alterum, si habeatur: duo candelabra cum cereis pro Ceroferariis: et prope abacum Crux processionalis, umbella, aut baldachinum cum hastis; et si processio extra Ecclesiam facienda esset, parentur ad limina Pre-

¹ S. Rit. C. 2 Septemb. 1741.

sbyterii etiam quatuor laternae hastiles, quae a Clericis indutis cotta, aut saltem a Confratribus capa seu sacco, vel ubi mos est, cotta indutis, a lateribus baldachini deferendae erunt.

1221. In Sacristia omnia parata sint, uti pro Missis solemnibus cantatis et cum Ministris paratis. Praesto ergo sint praeter paramenta missalia pro Celebrante, Tunicella et Dalmatica pro Ministris.

1222. Ut Missa votiva solennis de SSmo Sacramento, cum pro adoratione Quadraginta Horarum exponitur ac reponitur, celebrari queat, necesse est, ut expositio diu noctuque iugiter perduret. Hoc in casu illa dicitur prout in fine Missalis cum *Gloria*, *Credo*, unica Oratione, Praefatione Nativitatis ac consueto Evangelio S. Ioannis sub Missae exitum, non omissa tamen Missa conventuali de Officio currente. Excipiuntur nihilominus Dominicae primae et secundae classis, duplicia itidem primae et secundae classis, Feria quarta Cinerum, et secunda, tertia ac quarta maioris Hebdomadae, Octavae Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes, nec non Vigiliae Nativitatis et Pentecostes. Quibus diebus canitur Missa de die, eique adiicitur sub unica conclusione Oratio Missae votivae, dehinc sub conclusione distincta aliae aguntur Commemorationes occurrentes; caeterum illa celebratur cum vel absque *Gloria* et *Credo*, prout ritus et qualitas Missae diei exigunt.

1223. In Missa expositionis, quae usque ad sumptionem non differt ab aliis Missis solemnibus, binae consecrantur hostiae, altera pro Sacrificio, altera pro expositione facienda, quae a Subdiacono simul cum Calice deferenda est ad Altare, ante Offertorium clausa in sua

capsula. Celebrans ipsam, aperta prius capsula, offert cum alia. Paulo ante Communionem, Minister ex abaco Ostensorium sumit suo velo coopertum et ad Altare in cornu Epistolae defert, cum genuflexione, tum in accessu, tum in recessu. Hausto a Celebrante pretioso Sanguine, Diaconus et Subdiaconus, genuflexione peracta, locum mutabunt, videlicet Diaconus transibit ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis, hinc omnes genuflexionem faciunt. Diaconus tunc Ostensorium detegit, velum deferente ad abacum Clerico, ponit super Corporale, crystallum aperit, sumit de capsula lunulam cum Hostia sacra, eamque ponit in Ostensorio, crystallum ac capsulam claudit, et Ostensorium in medio Corporalis ponit erga gradus candelaborum faciem ipsius vertens, ita ut Celebrantem respiciat, iterumque genuflectunt, ac Diaconus ad sinistram Celebrantis se rursus recipit, Subdiaconus vero ad dexteram. Post haec Missa absolvitur, uti coram SSmo Sacramento exposito.

1224. Finita Missa, Celebrans et alii genuflectunt in suppedaneo unico genu et a latere Epistolae descendunt in planum, ubi, prope scamnum vel abacum, conversa facie versus Altare, Celebrans deponit Casulam et Manipulum et assumit Pluviale: Ministri deponunt Manipulos. Hinc, si facienda est processio, postquam Celebrans Pluviali se induerit sic stando ad scamnum vel ad credentiam, non ad Altare, incensum ponit in duobus thuribulis, ministrantibus more solito Ministris, sed sine osculis. Interea Sacrista vel Clericus, cotta indutus, tollit de Altari Crucem, tabellas Secretarum, Missale, legile, et omnia vel ad abacum, vel alibi deponit.

1225. Celebrans, incenso posito in thuribulo, cum Ministris tenentibus fimbrias Pluvialis, ante Altare procedet, utroque genu genuflexionem faciet cum aliis, assurgit et geniculabit in infimo gradu. Accepto deinde thuribulo, triplici ductu SS. Sacramentum thurificabit, et thuribulum restituet. Primus Minister imponet Celebranti Velum humerale, quod secundus illi ante pectus alligabit. Tunc Celebrans cum Ministris ad supremum gradum ascendit, et genuflectit cum Subdiacono in ora suppedanei. Diaconus vero ascendit usque ad Altare, genuflectit, assurgit, accipit Ostensorium vertens ipsius faciem anteriorem contra se, et illud tenens manu dextera in parte superiore pedis, quasi ad spheram, se vertit, et stans porrigit Celebranti genuflexo, deinde genuflectit et adorat. Celebrans surgit, et ascenso suppedaneo se vertit ad populum. Statim Cantores intonant Hymnum *Pange lingua*, et simul omnes surgunt, et facta duplici genuflexione suo ordine devote procedunt.

1226. Praecedit Crucifer medius inter duos Acolythos cum candelabris, accensis cereis; prosequuntur Religiosi bini et bini cum cereis accensis; postea duo Thuriferarii hinc inde ante Celebrantem extra baldachinum, continue SS. Sacramentum thurificantes, qui facie incedunt quasi ad invicem versa, ne Venerabili Sacramento terga obvertant. Ultimus omnium venit Celebrans medius inter Ministros hinc inde limbos Pluvialis elevantes, et cum iisdem recitans submissa voce *Pange lingua* et alios Hymnos et Psalmos. Convenit, ut hastae baldachini a Sacerdotibus vel saltem a Clericis superpelliceo indutis deferan-

tur. Si autem processio extra Ecclesiam fiat, a lateribus baldachini deferuntur laternae hastiles. Vide num. 1220.

1227. Ubi processio ad Altare redierit, Crucifer ad latus Epistolae Crucem et Ceroferarii candelabra super abacum deponunt; Religiosi in Chorum redeunt, cereos attamen accensos usque ad finem sacrae functionis retinentes. Celebrans autem sistit ad Altare, Diacono genuflexo ante eum Sanctissimum tradit, qui Ipsum super thronum deponit, adiuvante Clerico vel Sacrista. Celebrans statim ac Ostensorium cessit, geniculabit ad infimum Altaris gradum, et adiuvantibus Ministris Velum humerale dimittet.

1228. Sacramento exposito, Cantores intonant *Tantum ergo*; post verba *Veneremur cernui*, Celebrans cum Ministris assurgit, incensum in thuribulum iniiciet more solito, et Sacramentum thurificabit. Expleto *Tantum ergo*, quin dicatur *Ÿ. Panem de coelo* etc., Cantores iugiter genuflexi immediate Sanctorum Litanias more solito canant cum hisce variationibus. Dicto *Ab ira tua, libera* etc., dicatur:

<i>Ab imminentibus periculis,</i>	<i>libera nos Domine.</i>
<i>A flagello terraemotus,</i>	<i>libera.</i>
<i>A peste, fame, et bello,</i>	<i>libera.</i>
<i>A subitanea et improvisa morte,</i>	<i>libera.</i>
<i>Ab insidiis diaboli,</i>	<i>libera.</i>
<i>Ab ira, et odio, et omni mala voluntate,</i>	<i>libera.</i>
<i>A spiritu fornicationis,</i>	<i>libera.</i>
<i>A fulgure et tempestate,</i>	<i>libera.</i>
<i>A morte perpetua,</i>	<i>libera.</i>

Postea proceditur:

Per mysterium sanctae Incarnationis tuae etc., usque ad: Ut dominum Apostolicum etc. inclusive; quo dicto additur:

Ut Turcarum et haereticorum conatus reprimere, et ad nihilum redigere digneris, te rogamus.

Caetera more solito.

1229. Si processio non fiat, Celebrans, Missa absoluta et Pluviali assumpto, ut num. 1224, statim ad Altare accedit, et facta genuflexione utroque genu cum Ministris, Diaconus Sacramentum exponit in throno. Cantores vel Celebrans intonat *Pange lingua ad Tantum ergo*, incensum ponit in thuribulo, thurificat, et deinde caetera sequuntur, ut num. antecedenti.

1230. Finitis Litiis, intonato alta voce a Celebrante *Pater noster* etc., et dicto eadem voce *Et ne nos* etc., Cantores praecinunt Psalmum *Deus in adiutorium* alternatim cum Choro recitandum. Tum Celebrans adhuc genuflexus preces subiungit in tono feriali, dicens erectus *Dominus vobiscum* et Orationes sequentes:

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus.

Ab Adventu usque ad Nativitatem Domini:

Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuvemur.

A Nativitate usque ad Purificationem:

Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate focunda, humano generi praemia praestitisti: tribue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

A Purificatione usque ad Adventum Domini, etiam tempore paschali:

Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Omnipotens, sempiternae Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae: ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, refugium nostrum et virtus: adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Omnipotens, sempiternae Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, et omnium iura regnorum: respice in auxilium Christianorum, ut gentes Turcarum et haereticorum, quae in sua feritate et fraude confidunt, dexterarum tuarum potentia conterantur.

Omnipotens, sempiternae Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium de-

litorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R). Amen.

Deinde iterum genuflectit, et pronuntiato per Cantores *Ÿ. Exaudiat nos omnipotens* etc. et ab aliis *R). Amen*, subdit submissa voce *Fidelium animae* absque signo Crucis, et repetito *Amen*, universi brevi vacant orationi; qua finita, omnes genuflexionem utroque genu cum profunda inclinatione faciunt et debito ordine in Sacristiam redeunt, quin Celebrans caput cooperiat, nisi postquam e conspectu SS^mi Sacramenti recesserit.

1231. Dum SS^mum Sacramentum Fidelium adorationi patet expositum, duo Religiosi vel saltem unus superpelliceo, et Sacerdotes etiam Stola amicti coloris albi, flexis genibus ante scamnum in plano Presbyterii situm ac tapete coopertum continue astabunt, unusquisque per horae spatium, vel minus iuxta consuetudinem. Ad horas indicandas, horis singulis cum campana signum dabitur. Si forte sermo sit habendus, Orator pietate ac brevitate sibi proposita concionabitur, et tempore sermonis SS. Sacramentum obtegatur.

1232. Secunda expositionis die celebrabitur Missa sollemnis pro Pace in colore violaceo, si ritus permittat, iuxta notata num. 1222, ad Altare laterale, sine *Gloria* cum unica Oratione, sine *Credo*, Praefatio communis vel de Tempore aut Octava.

1233. Missae privatae, quae expositionis tempore celebrantur, erunt de Officio currente cum Commemoratione SS^mi Sacramenti post alias a Rubricis praescriptas,

si excipiantur festa primae et secundae classis, ac Missae, quae unicam tantum Orationem admittunt, quippe cum in hisce Commemoratio illa a Decretis vetita sit. Diebus vero semiduplicibus ac simplicibus non privilegiatis, recitari poterit votiva de SS^mo Sacramento, prout in fine Missalis, sine *Gloria* et *Credo*, cum tribus saltem Orationibus ac Praefatione Nativitatis. In ista porro, sicuti in reliquis, minime pulsabitur tintinnabulum¹, sed parvulum dumtaxat signum dabitur, dum Sacerdos e Sacristia ad Altare celebraturus accedet.

1234. Quod ad depositionem SS^mi Sacramenti in fine Quadraginta Horarum attinet, sollemnis celebrabitur Missa ad Altare expositionis. Porro Missa haec erit vel votiva, vel de die, ut supra num. 1222 dictum est. Absoluta Missa, Celebrans una cum Diacono et Subdiacono ad scamnum descendit, et postquam ille Pluviale induerit, ac isti Manipulos deposuerint, se cum Ministris ad medium Altaris confert, ubi facta in plano genuflexione utroque genu cum profunda inclinatione, in infimo gradu genuflectunt. Tunc Cantores Litanias Sanctorum canere incipiunt, ut in expositione. Omnes Religiosi manibus candelas accensas tenentes genuflectentesque respondent. Continuaturs cantus vel recitatio Litaniarum usque ad *Ÿ. Domine exaudi orationem meam* inclusive. Quo dicto, Celebrans assurgit, thus absque benedictione imponit et genuflexus ter SS. Sacramentum adolet atque Velum humerale assumit. Exinde Altare ascendentes debitis reverentiis praemissis, Diaconus Ostensorium e throno deponit et Celebranti, ut

¹ S. Rit. C. 31 Aug. 1867.

n. 1227 dictum est, tradit, et fit processio eodem ordine et modo, sicut in expositione.

1235. Post supplicationem Diaconus acceptum e manibus Celebrantis Ostensorium non ponit in throno, sed in medio Altaris. Postmodum Cantores praecinunt *Tantum ergo*, et Celebrans ad *Genitori* thus ingerit in thuribulum et SS^mum Sacramentum adolet. Finito Hymno et dicto a Cantoribus genuflexis *Ÿ. Panem de coelo* etc. (cui tempore paschali et infra Octavam Corporis Christi additur *Alleluia*), Celebrans surgit, et sustinentibus librum Ministris, omittens Versiculum *Dominus vobiscum*, cantat Orationem *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili* etc. una simul cum aliis Litaniarum Orationibus, ut supra n. 1230, sub unica longiori conclusione.

1236. Post Orationes iterum flectit genua, et recitato *Ÿ. Fidelium animae* sicut in expositione, accipit Velum humerale, Altaris gradus ascendit et benedictionem cum SS^{no} Sacramento impertit, debitis reverentiis Sanctissimo non omissis. Post haec descendit more solito et Velum humerale dimittit. Hinc Diaconus sacram Hostiam ab Ostensorio extrahit, in suam capsulam, quae in Altari parata erit, includit et in Tabernaculum recondit, et peracta genuflexione eius ostium claudit. Descenso Diacono ante infimum Altaris gradum, Celebrans surgit, genuflectit in plano una cum aliis, et ad Sacristiam omnes redeunt eo modo quo egressi sunt. Si processio non sit facienda, Celebrante Pluviali induto, ut num. 1229 dictum est, Litaniae cantantur, et post *Ÿ. Domine exaudi orationem meam* etc. cantabitur *Pange lingua* ad Altare, et caetera perficientur ut supra.

1237. Quando autem, iuxta consuetudinem multis in locis inductam, expositio SS. Sacramenti diu noctuque non perdurat, tunc, iuxta dicta num. 1222 Missa votiva sollemnis de SS. Sacramento, nisi expositio fiat ex gravi publica causa, dici nequit nec in Dominicis neque in festis duplicibus: sed Missa dicenda erit officio diei respondens, nec opus est, ut solemniter cantetur. Expositio autem fieri potest vel ante Missam vel immediate post Missam vel ab ipsomet Celebrante vel a Sacerdote assistente more solito, et facta incensatione cani potest Hymnus *Pange lingua*: quo expleto, facta brevi oratione, Celebrans et Ministri ad Sacristiam recedunt. Caetera autem ordinanda erunt eodem modo ac in expositione Quadraginta Horarum.

1238. In expositione Celebrans Pluviali indutus cum Ministris seu Assistentibus ea peraget, quae dicta sunt § III. Dicantur preces si quae dicendae sunt, et more solito impertiatur populo benedictio.